

hi obstabant quàm breuitas temporis quo absol-  
 ui nostra, si quid adiiciendum putassemus, oportet,  
 quo præsertim multis & grauibus & alienis  
 quibusdam à cultu studiorum nostrorum negotijs  
 occuparemur. Nam & amico nostro qui de hoc  
 libello tradit elementa rhetorices discipulis  
 nostris, quamuis suapte industria ipse cum summa  
 laude sua discipulorum profectum coniuncturus  
 esset, tamen non ingratham hanc oppellam  
 futuram esse noram, & Sturmij luculente  
 incoato operi extremam manum accessisse  
 nondum comperimus. Nostra autem profectio  
 uis ingenij, aut nulla est aut perpusilla, sed si  
 quàm laudem doctrinæ & litterarum consecuti  
 sumus, id totum peperit nobis diligentia, assiduitas,  
 labor, & qualiscunq; industria nostra. quo  
 subsidio destitutis, nihil ferè omnium in tractatione  
 artium nostrarum sub manus, ut dicitur, succedere,  
 & quasi aura secunda prouehi solet. Sed fuit  
 obsequendum chalcographo, nã exempla desiderabantur,  
 & nostris illa deesse nolebamus, quamuis, ut cum  
 magno dolore nostri sæculi dedecus commemorẽ,  
 hæc studia admodum frigere animaduertentem.  
 Ac sæpe mecum quærere atq; cogitare soleo. Quid  
 tamen agat nunc in scolis adolescentia? Nam ætate  
 ea qua ego discipulus fui, manifesta res erat. Omnia  
 enim loca doctrinæ publicæ admirabili studio  
 fre=